SI [1] pater cauſam divortii præſtiterit, apud matrem ad ſecundas nuptias non venientem liberi nutriantur patris expenſis. Si vero contra, tunc apud patrem, matris locupletis expenſis: niſi pater minus idoneus ſit: tunc apud matrem locupletem nutriantur. Nam quemadmodum locupletes filii matrem alere coguntur egentem: ita juſtum decernimus, & a matre filios paſci. † Quod de matre, & filiis indigentibus dictum eſt, hoc quoque in omnibus aſcendentibus, & deſcendentibus perſonis utriusque naturæ decernimus obſervari.

TIT. XXV.
DE ALENDIS [2] LIBERIS, AC PARENTIBUS.

De alendis parentibus.

1. Imp. ANTONINUS PIUS A. Baſſo.

PArentum neceſſitatibus [3] liberos ſuccurrere juſtum eſt. Sine die & conſule.

2. Divi Fratres & AA. Celeri.

COmpetens judex a [4] filio te ali jubebit, ſi in ea facultate eſt, ut tibi alimenta præſtare poſſit. Dat. Id. April. ipſis & CONSS. 162.

De alendis liberis.

3. Iidem AA. Titianæ.

SI competenti judici eum, quem [5] te ex Claudio enixam eſſe dicis, filium ejus eſſe probaveris, alimenta ei pro modo facultatum præberi jubebit. Idem, an apud eum educari debeat, æſtimabit. P. P. 13. Kal. Mart. *Romæ*, RUSTICO & AQUILINO CONSS.

4. Impp. SEVER. & ANTON. AA. Sabino.

SI patrem tuum officio debito promerueris [6], paternam pietatem tibi non denegabit. Quod ſi ſponte non fecerit, aditus [competens] judex alimenta [7] pro modo facultatum præſtari tibi jubebit. Quod ſi patrem ſe negabit: quæſtionem iſtam in primis idem judex examinabit. P. P. Non. Febr. LATERANO & RUFINO CONSS. 198.

TIT. XXVI.
DE CONCUBINIS [8].

Non licet marito concubinam habere, hoc dicit, & in hoc Imperator favet uxoribus. Salic.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Populum.

NEmini [9] licentia concedatur, conſtante [10] matrimonio concubinam penes ſe habere. Dat. 18. Kal. Jul. CONSTANTINIS, patre & filio CONSS. 320. 321. aut 324.

TIT. XXVII.
DE NATURALIBUS [11] LIBERIS, ET MATRIBUS EORUM, ET EX QUIBUS CAUSIS JUSTI [12] EFFICIANTUR.

De his, qui dignitate præditi ſunt.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad [13] Gregorium.

SEnatores [14] ſeu Præfectos [15], vel quos in civitatibus Duumviralitas, vel Sacerdotii [16], id eſt Phœniciarchiæ [17] vel Syriarchiæ ornamenta condecorant; placet [18] maculam ſubire infamiæ & alienos a Romanis legibus fieri, ſi ex ancilla, vel ancillæ filia, vel liberta, vel libertæ filia, vel ſcenica [19], vel ſcenicæ filia, vel tabernaria, vel tabernariæ filia, vel humili, vel abjecta [perſona,] vel lenonis, aut arenarii filia, vel quæ mercimoniis publice præfuit, ſuſceptos filios in numero legitimorum habere voluerint, aut proprio judicio, aut noſtri prærogativa reſcripti [20]: ita ut quicquid talibus liberis pater donaverit (ſeu illos legitimos, ſeu naturales dixerit) totum retractum legitimæ ſoboli reddatur, aut fratri aut ſorori, aut patri, aut matri. † Sed & ſi uxori tali quodcunque datum quolibet genere fuerit, vel emptione collatum: etiam hoc retractum [21] reddi præcipimus: ipſas etiam, quarum venenis [22] inficiuntur animi perditorum ([ſi] quid quæritur [23], vel commendatum dicitur, quod his reddendum eſt, quibus juſſimus, aut [24] fiſco noſtro) tormentis [25] ſubjici jubemus. Sive itaque per ipſum donatum eſt, qui pater dicitur, vel per alium, ſive per interpoſitam perſonam, ſive ab eo emptum, vel ab alio, ſive ipſorum [26] nomine comparatum: ſtatim retractum reddatur, quibus juſſimus: aut ſi non exiſtant, fiſci juribus vindicetur. Quod ſi exiſtant, & in præſentia rerum conſtituti agere noluerint, pacto vel jurejurando [27] excluſi: totum ſine mora fiſcus invadat. Quibus tacentibus, & diſſimulantibus ad defenſionem fiſcalem duorum menſium tempora limitantur: intra quæ ſi non retraxerint, vel propter retrahendum Rectorem provinciæ [non] interpellaverint; quicquid talibus filiis, vel uxoribus liberalitas [28] impura contulerit, fiſcus noſter invadat, donatas vel commendatas res ſub pœna quadrupli ſevera quæſtione perquirens. Dat. 12. Kal. Auguſt. *Carthagine.* NEPOTIANO & FACUNDO CONSS. 336.

In AUTHENT. ut lic. mat. & avitæ. §. qua vero legem. col. 8. tit. 18. al. 13. Novell. 117. cap. 4.

SEd novo jure hujuſmodi mulieres cum omnibus hominibus contrahere nuptias poſſunt, etiam cum præditis magnis dignitatibus, dum tamen dotalia inſtrumenta ſuper hoc conſcribantur ab illuſtribus. Reliqui vero citra eos, qui majoribus decorati ſunt dignitatibus, ſolo adfectu nuptias contrahere poſſunt, dum tamen libera ſint, cum quibus licet nuptias celebrare.

Quantum naturalibus liberis, vel eorum genitrici relinqui poſſit.

2. Impp. ARCAD. & HONORIUS AA. Anthemio P. P.

MAtre, vel legitimis filiis, vel nepotibus, aut pronepotibus, cujuscunque ſexus, uno pluribusve exiſtentibus; bonorum ſuorum unam [29] tantum [30] unciam pater naturalibus filiis ſeu filiabus, eorumque genitrici, vel ſi ſola ſit concubina, ſemunciam [31] largiendi, vel relinquendi habeat poteſtatem. Quicquid vero ultra [32] modum conceſſum relictum ſit, legitimis filiis, vel matri, vel cæteris ſucceſſoribus jure reddatur. Dat. Id. Novemb. STILICHONE II. & ANTHEMIO CONSS. 405.

In AUTHENT. quib. mod. natu. eff. ſui. §. ne igitur. col. 7. tit. 1. Novell. 89. cap. 12.

NUnc ſoli liberi naturales, & legitimi ad hunc modum conceſſum non etiam mater.

De legitimatione per oblationem curiæ.

3. Impp. THEOD. & VALENT. AA. ad Apollonium P. P.

SI quis [naturales [33] duntaxat fœcunditatem ſortitur,] ſeu liberi ipſe, ſeu Curiæ ſit nexibus obligatus: & tradendi filios naturales, vel omnes, vel quos quemve maluerit, ejus civitatis Curiæ [34], unde ipſe oritur, & in ſolidum heredes ſcribendi liberam ei concedimus facultatem. † Quod ſi cui non ex urbe, ſed [ex] vico vel poſſeſſione qualibet oriundo naturales liberi contigerint, eosque velit ſub definitione prædicta Curiæ ſplendore honeſtare, & hereditatis opibus [35] adjuvare, ejus civitatis adſcribendi ſint ordini, ſub qua vicus ille ac poſſeſſio cenſetur [36]. † Quod ſi alterutram Regalium Civitatum patriam ſortiatur [37], ſit ei licentia ſuſceptam ex inæquali [38] conjugio ſobolem, cujuscunque civitatis decurionibus inmiſcere: dummodo civitas, quæ eligitur, totius provinciæ teneat principatum. Indignum enim eſt, ut qui ſacratiſſimis urbibus ubere gloriatur, naturales ſuos non illuſtris ordine civitatis illuminet. † Et hoc ſive poſtrema definiat [voluntate,] ſive donatione cujuslibet quantitatis ſubheros naturales pater conferat. Et quod de ſubeunda forte curiali, ſeu teſtamento [39], ſeu ſolemni [illegible] ... bilitérque volumus obſervari, ut ſi [illegible] donationes naturalibus liberis curialem voluerint evitare fortunam, poſteaque paternarum opum, vel in ſolidum, vel ex parte reperti fuerint poſſeſſores, licet ea [40] alienaverint, omnimodis ad conditionem, in qua pater eos amplificatis opibus eſſe voluit, etiam inviti cogantur accedere. † Sed & ſi filias [41] naturales vel filias habeat, & eam vel eas curiali, vel curialibus civitatis, ex qua oriundus eſt vel ſub qua vicus eſt vel poſſeſſio, unde oritur, cenſetur, vel ejus civitatis, quæ [42] principatum totius provinciæ tenet, matrimonio [43] collocaverit: hæc eadem in perſona ejus, vel earum ad exemplum marium obtinebunt. Quid enim intereſt [44], utrum per filios, an per generos commodis tributos civitatum conſulatur? & utrum novos [45] lex faciat curiales aut foveat, quos invenit? Dat. 16. Kal. Jan. *Conſtantinop.* EUDOXIO & DIOSCORO CONSS. 442.

4. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Armaſio P. P.

QUoniam deſideria morientium [ex arbitrio viventium] non ſine juſta ratione colligimus: & is, qui naturalem filium habens, hortantibus legibus ultro ad inſtar legitimi filii municipalibus eum voluit aggregare muneribus, & donare patriæ principalem: manifeſtavit notumque fecit ſine dubio profeſſione certiſſima facultatum ſuarum omnium elegiſſe ſe adfectione debita ſucceſſorem: cum certe hujusmodi

1 Adde *Novellam* 98. *c.* 2.

2 Dixi ad *lib.* 25. *D.* 3. *de agnoſc. & alend. liber.* 3 Alimentis. *l.* 2. Ĵ. *l.* 8. §. 5. Ĵ. *de bonis quæ liber. l.* 5. Ĵ. *de patria poteſtat.* Eſt enim iniquiſſimum patrem indigere, cum filius ſit in facultatibus. *l.* 5. §. 13. *ff. h. t. l.* 1. §. 4. *ff. de tutel. & rationib. diſtrah.* Non cogitur tamen filius æs alienum patris diſſolvere. *l.* 5. §. 16. *ff. h. t. l.* 2. *l.* 4. Ŝ. *ne filius pro patre.* etiamſi pro patre in carcerem conjecto fidejuſſionem negare impune non poſſit. *Nov.* 115. *c.* 3. §. 8. An munera nuptialia parentibus pupilli tutores poſſint mittere, vide *l.* 12. §. 3. *ff. de admin. & peric. tut. l.* 1. §. 5. *ff. de tut. & rat.* adde Forc. 2. 4 *l.* 1. *ſupr. h. t.* 5 Uxor agere poteſt adverſus maritum pro alimentis communi filio præſtandis. 6 Pater tenetur alere filium non ingratum. 7 Liberi a parentibus alendi. *l. un.* §. 5. *verſ. ſileat. ſupr. de rei uxor. act. l.* 8. §. 5. *infr. de bon. quæ lib.*

8 Dixi ad *lib.* 25. *D.* 7. 9 Hujus conſtitutionis meminit Sozomenus 1. *hiſtor.* 8. & Martianus *Novell.* 4. *tit.* 4. *de matrimoniis Senatorum.* 10 Concubinatus jure civili licita fuit conſuetudo, *ut hic*, & *l.* 5. *in fin.* Ĵ. *ad SC. Orfitian.* & *ff. de concubin. l.* 5. Ĵ. *de nat. lib.* non tamen conſtante matrimonio, id eſt, eo tempore quo quis uxorem habet. *l. ult. in fin.* Ĵ. *commun. de manumiſſ.* Paul. 2. *ſent.* 20. & *Novell.* 18. *cap.* 5. *verſ. Si autem. Novell.* 89. *cap.* 12. §. 5. *l. ult. in fin. ff. de divort. & repud. l.* 121. §. 1. *ff. de verb. oblig.* multo minus duas uxores uno tempore habere licet. *l.* 7. *ſupr. de Judæis. l.* 2. *ſupr. de inceſtis. Leo Novell.* 91. Conſtantinus Porphyrogeneta apud Harmen. 4. *tit.* 7. *in fin.* præciſius agit: Concubinatum enim penitus damnat & vetat. Quæ eum eo conſueſcit, qui uxorem habet, pellex dicitur. vide *l.* 144. *ff. de verbor. ſign. De concubinis* vide Cujac. 5. *obſ.* 6.

11 Περὶ παίδων φυσικῶν. 28. *Ecl.* 4. Naturales liberi dicuntur nati ex concubinis. 12 Dixi ad *Novell.* 74. 89. vide 4. *C. Theod.* 6. Papon. 3. *notar.* 6. *cap. des legitimations.* 13 *Nov.* 89. *c.* 15. *verſ. unde.* 14 Id remiſſum ſenatoribus. *Novell.* 117. *capit.* 4. *Auth. proxim.* Ĵ. 15 Perfectiſſimos *Hal.* quam lectionem probat Antonius Auguſtinus *lib. ad Modeſtin.* & Cujacius ad 13. *Ulpian.* & ita extat in Novella quadam Martiani, *de matrimoniis ſenatorum.* Perfectiſſimos Græci διασημοτάτους. 16 Sacerdotia hæc Gentilium Phœniciarchiæ & Syriarchiæ obſerva, de quibus alibi diximus. 17 Dixi ad *l. unic.* Ŝ. *de offic. Comit. Orient. Nov.* 89. *c. ult.* & adde *l.* 6. §. 14. *ff. de excuſ. tut. l.* 8. *ff. de vacat. muner.* 18 Quod de Syriarchis & Phœniciarchis dixit ſuperius, poſtea diſplicuit Juſtiniano *Novell.* 89. *c. ult.* 19 *l.* 7. *in fin.* Ŝ. *de inceſt. & inutil.* 20 Reſcripto jus non confertur ſpurios inſtituendi, niſi forte jus id impetratum fuerit, & princeps adjecerit, ſe id concedere non obſtante lege. 21 De revocandis donationibus in concubinam factis. 22 Id eſt, illecebris. 23 Præſumitur concubina res ſuas omnes adquiſiviſſe ex bonis ejus cujus concubina eſt. Bald. Cremenſis *ſingulari* 6. 24 Spurio quod aufertur, deficientibus quibusdam perſonis applicatur fiſco. 25 Ut rerum expilatarum quantitas adgnoſcatur, concubina torqueri poteſt. 26 De emptionibus factis a patre ſpurii nomine. 27 Jusjurandum nihil adverſus leges poteſt. *l.* 5. §. 1. *in fin. ſupr. de legibus.* 28 Liberalitas impura. 29 Qui liberos legitimos habet, non poteſt liberis naturalibus eorumque matri una plus uncia relinquere, *ut hic.* ſoli vero concubinæ, ſemiunciam. Idem ſi ſolos parentes, nullos vero liberos legitimos habet, *ut hic.* Hodie, deducta portione parentibus aut liberis debita, legitimi liberi eorumque mater reliquum capere poſſunt. *Novell.* 87. ſi nullos liberos aut parentes habet olim ſemiſſem. *l.* 8. Ĵ. *h. t.* hodie aſſem. *Novell.* 89. *cap.* 12. §. 3. 30 Vide Socin. *reg.* 285. 31 Vide *Nov.* 89. *cap.* 12. *in pr. verſ. & ſiquidem.* 32 Relicta ultra modum revocantur. 33 Incluſa videntur eſſe deſumpta (& perperam) ex Novell. Theodoſii de bonis decurionum. vide Cujac. ad *Novell.* 74. 34 Legitimantur liberi *curiæ oblatione:* hoc eſt, ſi curiæ a patre re ipſa oblati, aut ejus teſtamento curiæ deſtinati fuerint. *l.* 9. *in fin. infr. h. t. Nov.* 89. *cap.* 2. & 3. *Inſtit. de nupt. in fin.* Offerebantur autem Curiæ civitatis, teſte populo vel actis intervenientibus. 35 Intereſt reipublicæ, ſubditos eſſe locupletes. 36 Caſtrum poſſeſſio resve civilis probatur alicujus eſſe territorii per ſolutionem cenſus. *Baldus.* adde *Novell.* 89. *cap.* 2. §. 2. *l.* 4. §. 2. *ff. de cenſibus.* 37 Probari ſolutione cenſus caſtrum vel villam alicujus eſſe territorii hinc colligit Baldus. 38 Concubinatus licita conſuetudo. *l.* 5. *in fin. infr. ad SC. Orfitian.* quin conjugium eſt, ſed inæquale, *ut hic.* inde concubina ἡμίγαμος Zonaræ dicitur: uxorem imitatur. *Julian.* ad de *Novell.* 18. *c.* 5. & 11. nec ſuperduci poteſt. *l. unic. ſupr. tit. prox.* tenetur quoque lege Julia de adulteriis. *l.* 13. *ff. ad leg. Jul. de adulteriis.* eſt & quaſi noverca, ejusque conjunctio liberis concubinarii non permiſſa. *l.* 4. *ſupr. de nupt.* 39 Teſtamento curiæ filios deſtinare pater poteſt. 40 Præſumitur fraus ex poſteriori poſſeſſione. 41 Legitimatur filia naturalis, ſi a patre viro curiali elocetur vel deſtinetur uxor. 42 Metropolis dicitur quæ principatum totius provinciæ tenet. *l.* 4. §. 5. *ff. de off. proconſ.* 43 *Nov.* 89. *c.* 2. §. 3. §. 13. *Inſtit. de nupt.* 44 Generi nobis ſunt liberorum loco: ut & ſoceri parentum. 45 Civibus novis non minus favendum quam antiquis civibus.

perſonis

perſonis adeo ſacratiſſima conſtitutione ſubventum ſit, ut nec [1] renunciandi eis, aut alienandi, vel repudiandi paternas hereditates aut donationes in fraudem Curiæ concedatur facultas: ſed muneribus patriæ ſuſceptis, patrimonia ſubire cogantur: nullam e diverſo calumniantium vocem penitus patiemur admitti: ſed ipſum Philocalum, & paternorum bonorum omnium ab inteſtato heredem, & noſtræ [2] civitatis curiæ principalem injuncta, vel injungenda ſibi munera ſubire, ex eoque genitos, vel naſcituros filios ſimiliter paternæ conditioni ſubjacere præcipimus. Et hujusmodi formam in omnibus cauſis, quæ ſimiliter in quocunque civitatis ordine curiaque contigerint, in poſterum decernimus obſervari. Dat. Kal. Jan. *Conſtantinop.* JORDANE & SEVERO CONSS. 470.

De legitimatione per ſubſequens matrimonium.

5. Imp. ZENO A. Sebaſtiano P. P.

DIvi Conſtantini (qui veneranda Chriſtianorum fide Romanum munivit [3] imperium) ſuper ingenuis concubinis ducendis uxoribus, filiis quinetiam ex iisdem, vel ante matrimonium, vel poſtea progenitis, ſuis ac legitimis habendis, ſacratiſſimam conſtitutionem renovantes [4], jubemus eos, qui ante hanc legem ingenuarum mulierum nuptiis minime intercedentibus, electo contubernio, cujuslibet ſexus filios procreaverint: quibus nulla videlicet uxor eſt, nulla ex juſto matrimonio legitima proles ſuſcepta: ſi voluerint [5] eas uxores ducere, quæ antea fuerant concubinæ: tam conjugium legitimum cum hujusmodi mulieribus ingenuis (ut dictum eſt) poſſe contrahere, quam filios utriusque ſexus ex earundem mulierum priore contubernio procreatos, mox poſtquam nuptiæ cum matribus eorum fuerint celebratæ, ſuos patri, & in poteſtate fieri: & cum his, qui poſtea ex eodem matrimonio ſuſcepti fuerint, vel ſolos (ſi nullus alius deinde naſcatur) tam ex teſtamento volentibus patribus etiam ex integro ſuccedere, quam ab inteſtato petere hereditatem paternam: pactis, quæ [matrimonii tempore ſuper dotibus vel ante nuptias donationis rebus ſubſecuta fuerint, etiam [6] ad ipſorum perſonas pertinentibus: ut una cum fratribus ſuis poſtea ex eisdem parentibus forte progenitis, aut ſoli (ſi nullus alius ſit procreatus) dotis & ante nuptias donationis pro tenore legum, nec minus pactorum emolumenta percipiant. † Hi vero, qui tempore hujus ſacratiſſimæ juſſionis necdum prolem aliquam ex ingenuarum concubinarum conſortio meruerint, minime hujus legis beneficio perfruantur: cum liceat easdem mulieres ſibi prius jure matrimonii copulare, non extantibus legitimis liberis, aut uxoribus, & legitimos filios (utpote nuptiis præcedentibus) procreare: nec audeant quos ex ingenua concubina dilato poſt hanc legem matrimonio naſci voluerint, ut juſti ac legitimi poſtea videantur, magnopere poſtulare. Dat. 10. Kal. Mart. BASILIO II. & ARMAS. CONSS. 476.

De arrogatione.

6. Imp. ANASTASIUS [7] A. Sergio P. P. [8]

JUbemus eos, quibus nullis legitimis exiſtentibus liberis, in præſenti aliquæ mulieres uxoris loco habentur, ex his ſibi progenitos ſeu procreandos, ſuos & in poteſtate legitimosque habere, propriasque ſubſtantias ad eos vel per ultimas voluntates, vel per donationes, ſeu alios legi cognitos titulos (ſi voluerint) transferre: Ab inteſtato quoque ad eorum hereditatem vocandos, nec aliquas quæſtiones ſeu altercationes exercendi ſub qualibet aſtutia ſubtilique legum vel conſtitutionum occaſione ſuper his, vel agnatis ſeu cognatis genitoris eorum, vel quibusdam aliis ſupereſſe facultatem in poſterum. † Nihilominus quisquis hujusmodi mulierem uxoris loco dotalibus inſtrumentis confectis habuerit, pro ejus ſobole ſimilem eandemque formam cuſtodiri: ne adimatur ei licentia ſibi quodammodo per liberos proprium ſuum patrimonium acquirendi. † Filios inſuper & filias jam per divinos adfatus a patribus ſuis in arrogationem [8] ſuſceptos, vel ſuſceptas, hujus providentiſſimæ noſtræ legis beneficio & juvamine potiri cenſemus. Dat. Kal. April. ANASTASIO [9] A. IV. & AGAPITO CONSS. 508.

Lex, quæ caſſatur, intelligitur caſſari quoad futura, non quoad præterita. Bald.

7. Imp. JUSTIN. A. Marino P. P.

LEgem Anaſtaſii [10] divinæ recordationis, quæ ſuper naturalibus filiis emiſſa eſt, in [11] his valere tantum caſibus concedimus, qui [12] nunc usque ſubſecuti ſunt, pro ejusdem legis tenore in matrimoniis tunc conſtantibus, vel poſtea contractis: ita tamen, ut non aliunde progenitis ſubveniſſe credatur, quam non ex nefario [13] nec inceſto conjugio. Naturalibus inſuper filiis vel filiabus ex cujuslibet mulieris cupidine non inceſta, non nefaria procreatis, & in paterna per arrogationem ſeu per adoptionem ſacra ſuſceptis, ex divinis juſſionibus, ſive antequam eadem lex irrepſerit, ſive poſt eandem legem usque ad præſentem diem, non ſine ratione duximus ſuffragandum: ut adoptio ſeu arrogatio firma permaneat, nullis prorſus improbanda quæſtionibus: quaſi quod impetrarunt, lege quadam interdictum ſit: quoniam & ſi qua prius talis emergebat dubitatio, remittenda fuit, movente miſericordia [14]: qua indigni non ſunt, qui alieno laborant vitio. Sint itaque poſt eandem arrogationem ſeu adoptionem ſui, & in poteſtate patrum: ſucceſſionesque tam ab inteſtato quam ex teſtamento capiant, prout in arrogatis ſeu adoptatis conſtitutum eſt. In poſterum vero ſciant omnes legitimis [15] matrimoniis legitimam ſibi poſteritatem quærendam, ac ſi prædicta conſtitutio lata non eſſet. Injuſta [16] namque libidinum deſideria nulla de cætero venia defendet: nullum ſublevabit novum adminiculum præter anteriorum diſpoſitionum ordinem, non ante lata ſanctio, quam ex hoc die reſecandam pia ſuggerit ratio: non arrogationum vel adoptionum prætextus: quæ ulterius [17] minime ferendæ ſunt: non aſtutiæ, ſive divinis adfectandæ literis, ſive quibusdam illicitis ambiendæ machinationibus: cum nimis ſit indignum, nimis item impium, flagitiis [18] præſidia quærere, ut & petulantiæ ſervire liceat, & jus nomenque *patris*, quod eis denegatum eſt, id [19] altero legis colore præſumant. Dat. 5. Id. Novembr. JUSTINO A. & EUTHERICO CONSS. 519.

Quantum poſſint naturales capere.

8. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

HUmanitatis intuitu naturalibus patribus hoc indulgemus, ut liceat eis nulla legitima ſobole, vel matre ſubſiſtente, naturalem vel naturales filios, matremque eorum, non tantum ex tribus unciis, (quod præteritæ leges permittebant) ſed etiam ex duplici portione, id eſt ſex [20] unciis heredes ſcribere: ut licet ab inteſtato nullam communionem ad patris naturalis ſucceſſionem habeant, ex ſuprema tamen [ejus] voluntate permittatur eis usque ad prædictas ſex uncias (ſi hoc ſcilicet naturalis pater voluerit) hereditatem ejus capere: ita tamen ut memoratam ſex unciarum quantitatem in omnibus naturalibus filiis & matre eorum minime teſtator excedat: quam & in legatis, & in fideicommiſſis eis relinquendis, & dotibus [21], & donationibus tam aliis, quam ante nuptias usque ad ſex unciarum æſtimationem liberam [ſimiliter] naturalibus eorum patribus damus poteſtatem. † Hæc autem in futuris tantummodo teſtamentis, vel ultimis voluntatibus, vel dotibus, vel donationibus locum habebunt. Dat. Kal. Januar. *Conſtantinop.* DN. JUSTINIANO A. II. CONSS. 528.

In AUTHENT. quib. mod. naturales effic. ſui. §. Si vero filios. & §. fi. col. 6. tit. 1. Novell. 89. cap. 12. & cap. 15.

LIcet patri ſine legitima prole ſeu parente, cui relinqui neceſſe eſt, decedenti, naturalibus totam ſubſtantiam ſuam vel inter vivos largiri, vel in teſtamento transmittere. Quod ſi parentes duntaxat ei ſuperſint: legitima parte parentibus relicta, reliquum inter naturales diſtribui permittitur. Ab inteſtato vero cum deſit ſoboles civilis, nec ſuperſit conjunx legitima: ſi naturales ex concubina extant, quæ ſola fuerit ei indubitato affectu conjuncta, in duas paternæ ſubſtantiæ uncias ſuccedant, ut matri inter eos virilis portio (ſi supereſt) detur. Hujusmodi enim naturales filios paſci boni viri arbitrio eſt neceſſe: ſive legitimi extant, & ſuccedunt: ſive conjuge viva quilibet alii [22] ſunt heredes. Hi ergo & parentibus parem [23] præſtent, ſi opus ſit, pietatem. Sed qui ex damnato [24] ſunt coitu, omni prorſus beneficio ſecludantur.

De legitimatis per oblationem curiæ.

9. Idem A. Mennæ P. P.

COmmunium rerum eſſe utilitatem recte judicantes, lucidis & omni ambiguitate ſegregatis legibus uti noſtro ſubjectos imperio, ad præſentem ſanctionem venimus: per quam omni dubitatione amputata, quæ usque adhuc obtinebat, certiſſimum facimus, ut quoties naturales filii curiali [25] fortunæ patriæ ſui genitoris adſignantur, vel adhuc vivente patre vel poſt ejus obitum, pro diſpoſitione teſtamenti ab eo conditi; & eo modo legitima jura in paterna ſucceſſione adipiſcantur, [ut] (quod recte fieri minime dubium eſt) licet Illuſtrem dignitatem, ex qua curialis fortunæ liberatio competere non poteſt, naturales filii antea meruerint: ne permittatur eis contra ſubſtantiam ab eodem naturali patre deſcendentium [26], vel aſcendentium [27], vel ex latere agnationis, vel cognationis jure eidem patri conjunctorum (licet ipſi legitimi ſucceſſores eidem naturali patri per memoratam fortunam efficiantur) aliquod jus ſibi vindicare. † Quod & in his locum habebit, qui jam a naturali patre curiali conditioni traditi, & adhuc ſuperſtites ſunt: eodem ſcilicet modo nec illis contra ſubſtantiam ejusdem naturalis filii, vel ex eo deſcendentium [vel [28] aſcendentium,] vel a latere conjunctorum, aliquod ſibi jus vindicare valentibus. Sed ſi quidem iſte naturalis filius, ſive poſtquam legitimus ſucceſſor patri effectus ſit, ſive in antecedente tempore, filios ex legitimo matrimonio, vel alios deſcendentes liberos habeat: eos modis omnibus ad ejus ſucceſſionem, ſine teſtamento morientis vocari, nec curiæ locum eſſe præterquam ſi quarta portio bonorum ejus eidem curiæ debeatur, eo quod nullus forte ex mortui liberis curialia munera peragere cogitur: illo videlicet obſervando, ut hi, quos [iſte] naturalis filius, poſteaquam [29] fortunæ curiali datus eſt, procreaverit, & decuriones ſine dubio ſint, & curialia peragere munia compellantur.

§. 1. Si vero *ſine liberis* cujuscunque gradus inteſtatus deceſſerit:

1 Acceptans vel admittens onus, commodum & connexum admittere intelligitur. Imo hoc noſtro caſu emolumentum repudiare non poteſt: hoc eſt, filius patris deſtinatione decurio factus, hereditatem ea conditione relictam repudiare non poteſt. 2 Boſtræ, ita legitur *Novell.* 89. *cap.* 2. §. 1. 3 *Al.* minuit, quæ lectio, velut falſa rejicitur a Caſtrenſi & ita eſt: Conſtantinus Chriſtiana fide Romanum imperium munivit. 4 Renovatur lex Conſtantini per Zenonem. 5 Legitimi & ſui fiunt, nati in concubinatu ex ingenua muliere, concubinatu in matrimonium converſo. *l.* 6. Ĵ. *h. t. Inſtit. de nupt. in fin. Novell.* 12. *cap.* 4. *Novell.* 74. *cap.* 1. *Novell.* 89. *c.* 8. 6 Donatio primo filio naſcituro ex tali matrimonio facta, valet, *ut hic:* & *l.* 24. facit *l.* 5. *ff. de operis libert. l.* 24. *ff. de pact. dotalibus.* Imo non valet: quia perſonæ non exiſtenti donari videtur: & in non abſimili caſu uſusfructus ſine perſona conſtitui non poteſt: ut hinc ſequi videatur, donationem ſine perſona eſſe non poſſe. *l.* 26. *ff. de ſtipulat. ſervorum.* vide Guidonem Papæ *deciſ.* 267. 7 Cujus ſit mentio *l.* 7. Ĵ. 8 Hac lege permiſſum eſt naturales liberos adrogando ſuos & legitimos facere, ſed huic conſtitutioni derogat *l.* 7. Ĵ. *h. t. Novell.* 89. *cap.* 11. *in fin.* videtur tamen quaſi reduci conſtitutio Anaſtaſiana, permiſſa per adoptionem legitimatione *Novell.* 117. *cap.* 2. 9 Anatolio. 10 Id eſt, *l.* 6. Ŝ. *h. t.* 11 Abrogatur *l.* 6. Ŝ. *h. t.* 12 Lex Anaſtaſii in futurum abrogatur. *Novell.* 89. *cap.* 7. 13 Utcumque in præteritum legi Anaſtaſii indulgeatur jus naturales liberos adoptandi, naturalium tamen nomine non intelliguntur nati ex nefario & inceſtuoſo conjugio. 14 *l.* 6. *ff. de decurionibus.* 15 *Novell.* 89. *c.* 7. *c.* 12. *in fin.* 16 Injuſtis deſideriis venia denegatur. 17 Vide tamen quæ dixi ad *Novell.* 117. *c.* 2. 18 Flagitiis præſidia non ſunt quærenda: nec vitia juvanda. 19 *Cap.* 39. *de reg. jur. in* 6. 20 Dixi ad *l.* 2. Ŝ. *h. t.* 21 Dotes naturalium filiorum eis imputantur in legitimam: adde *l. uxorem.* 41. §. *pater.* 11. *ff. de leg.* 3. 22 Alimenta liberis naturalibus debentur non modo a patre, ejusve liberis legitimis aut legitimatis, ſed etiam a patris naturalis ſucceſſoribus ſeu heredibus: & quidem ex bonis ipſius teſtatoris. adde *c. cum haberet.* 5. *extra. de eo, qui duxit in matrim. quam pol. per adult.* 23 Pater & filius pari jure tenentur in permiſſionibus & prohibitionibus; ut quemadmodum pater ſpurium filium non inſtituit, ita nec patrem filius. 24 Alimenta jure civili non debentur liberis ex damnato coitu procreatis. adde *auth. ex complexu. ſupr. de inceſtis & inutil.* 25 *Nov.* 89. *c.* 2. *c.* 3. *c.* 4. 26 Legitimati per matrimonium liberis juſtis conſanguinei ſunt, at non ii, qui per oblationem tantum. Cur ita? legitimi ſunt, *ut hic*, & *Nov.* 89. Illi omni cognationi omnibusque cognatis legitimi ſunt: hi legitimanti tantum, non aliis cognatis: cur? Prior legitimatio naturam imitatur, at non poſterior: unde notat Bart. ſtatuto civitatis legitimatum non haberi pro legitimato in bonis extra territorium poſitis. Cujus differentiæ vis hæc eſt: ut priore caſu legitimatus, legitimis fratribus ſuccedat, non poſteriore caſu. Quid ſi quis legitimatus eſt Principis reſcripto? extra territorium quoque civitatis legitimatus cenſetur. Cur? propter ſummam Principis poteſtatem ſive perſonas ipſas ſpectes, ſive res: hoc eſt legitimatus habebitur omnibus patris cognatis, & extra territorium quoque ſuæ civitatis: ut per Principem legitimatio ea parte, legitimationem quæ matrimonio fit, imitetur: & eam ſuperet quæ fit tantum per curiæ oblationem: cauſam ſi quæſiveris, hæc adferri poterit, quod poteſtas Principis non in unius civitatis tantum prætorium, ſed in totius Principatus fuſum ſit & extenſum. 27 Hæc verba delenda. vide Cujac. 17. *obſ.* 6. 28 Hæc verba delenda eſſe Cujac. monet 17. *obſerv.* 6. eſt enim iniquum & falſum, patrem naturalem non ſuccedere aſcendentibus naturalibus: hoc eſt patri ſuo vel proavo. 29 Hoc jure patre facto curiali, liberi poſtea ſuſcepti, ſunt curiales: ante ſuſcepti non ſunt. hodie etiam ante ſuſcepti curiales ſunt. *Nov.* 101. *c.* 4.

ſi

ſi quidem matre ſuperſtite, tertiam quidem partem bonorum ejus matrem habere, duas vero alias partes curiam, cui a patre datus eſt. Sin autem mater quidem defuncti non ſupereſt, alii vero cognati ex materna linea deſcendentes, vel ex latere venientes ad ejus vocentur ſucceſſionem: tunc ea quidem, quæ a patre naturali ad eum pervenerunt, [eidem] curiæ competere. Si quid vero ſibi poſtea legitimo ſucceſſori effecto, vel a matre ſua, vel aliunde quocunque legitimo modo acquiſitum ſit, hoc ad proximos maternos ejus cognatos pervenire. Illo videlicet obſervando, ut ſive matre ejus ſuperſtite, ſive ea ante filium mortua, aliquis ex ejus genere ejuſdem curiæ fortunam ſubire paratus ſit: licet [ei] offerenti ſe eidem curiæ, bona mortui, quæ de ſubſtantia patris ad eum pervenerunt, capere, muniaque peragere curialia: quo accidente, mater defuncti (ſi adhuc ſuperſtes ſit) non ſolum tertiam partem eorum, quæ extra paternam ſubſtantiam filius ejus aliunde acquiſiverit, ſed etiam omnia ea, vel ipſa ſola, vel cum coheredibus ſuis capiet. §. 2. Ea vero, quæ de ſucceſſione naturalis filii poſt curialem conditionem morientis conſtituimus, non tantum in his locum habere debent, qui poſtea a patre ſuo naturali curiæ dati fuerint: ſed etiam in illis, qui jam dati ſunt, ſi tamen adhuc ſuperſunt. Quod ſi ante præſentem ſanctionem mortui [1] ſunt, minime ad eorum ſucceſſionem eandem noſtram ſanctionem extendimus. §. 3. Et quoniam omnimodo favendum eſt curiis civitatum: illud etiam in hanc partem addendum eſſe cenſemus, ut liceat [2] patribus naturales filios curiæ [3] patriæ ſuæ tradere, non [4] ſolum nulla [5] eis legitima ſobole exiſtente, ſed etiam ſi filios, vel alios liberos ex legitimis matrimoniis procreatos habeant, & eo modo naturales quoque filios ſibi legitimos ſucceſſores efficere: ita tamen, ut [6] minime eiſdem patribus liceat per donationem, vel ultimam voluntatem amplius [eidem] filio naturali dare, vel relinquere, quam [7] uni filio ex legitimo matrimonio procreato dederit, vel reliquerit, cui minima portio data, vel relicta ſit. Dat. Kal. Jun. DN. JUSTINIANO A. II. CONS. 528.

De legitimatione per ſubſequens matrimonium.

10. Idem A. Demoſthenis P. P.

CUm quis a muliere libera, & cujus matrimonium non eſt legibus interdictum, cujusque conſuetudine gaudebat, aliquos liberos habuerit, minime dotalibus inſtrumentis compoſitis, poſtea autem ex eadem affectione [8], etiam ad nuptialia pervenerit inſtrumenta, & alios iterum ex eodem matrimonio liberos procreaverit: ne poſteriores liberi, qui poſt dotem editi ſunt, ſibi omne paternum patrimonium vindicare audeant, quaſi juſti & in poteſtate effecti fratres ſuos, qui ante dotem fuerant nati, ab hereditate paterna repellentes: hujusmodi iniquitatem amputandam cenſemus. Cum enim affectio prioris ſobolis, & ad dotalia inſtrumenta efficienda, & ad poſteriorum filiorum edendam progeniem præſtiterit occaſionem, quomodo non eſt iniquiſſimum, ipſam ſtirpem ſecundæ poſteritatis [prioris] cauſam injuſtam excludere [9]: cum gratias [10] agere fratribus ſuis poſteriores debeant, quorum beneficio ipſi ſunt juſti filii, & nomen & ordinem conſecuti? Neque enim veriſimile eſt, eum, qui poſtea vel donationem, vel dotem conſcripſerit, ab initio talem affectionem circa mulierem non habuiſſe, quæ eam dignam eſſe uxoris nomine faciebat. Quapropter ſancimus in hujusmodi caſibus omnes [11] liberos, ſive ante dotalia inſtrumenta editi ſint, ſive poſtea, una [12] eademque lance trutinari, & omnes [filios] ſuos in poteſtate ſuis exiſtere genitoribus, ut nec prior, nec junior illo habeatur diſcrimine: ſed qui ex iiſdem matrimoniis procreati ſunt, ſimili perfruantur fortuna. Dat. 15. Kal. Octob. Chalced. DECIO V. C. CONS. 529.

Per ſequens matrimonium filii nati ex concubina legitimantur, etiamſi ex eo matrimonio nullus poſtea naſcatur: vel natus vivens non reperiatur tempore mortis patris. Salic.

11. Idem A. Juliano P. P.

NUper legem conſcripſimus, qua juſſimus, ſi [13] quis mulierem in ſuo contubernio collocaverit, non ab initio adfectione [14] maritali (eam tamen, cum qua poterat habere connubium) & ex ea liberos ſuſtulerit, poſtea vero adfectione procedente, etiam nuptialia inſtrumenta cum ea fecerit, filiosque vel filias habuerit: non ſolum ſecundos liberos, qui poſt dotem editi ſunt, juſtos, & in poteſtate eſſe patribus, ſed etiam anteriores, qui & his qui poſtea nati ſunt, occaſionem legitimi nominis præſtiterunt. Quam legem quidam putaverunt ſic interpretari, ut ſive non [15] progeniti fuerint poſt dotem conſcriptam liberi, ſive jam ab hac luce ſubtracti: non anteriores filios juſtos haberi, niſi utroque tempore viventes, & ſuperſtites liberi inveniantur: quorum ſupervacuam ſubtilitatem penitus inhibendam cenſemus. Sufficiat etenim talem adfectionem habuiſſe, ut poſt liberorum editionem & dotalia efficiant inſtrumenta, & ſpem [16] tollendæ ſobolis habeant: licet enim hoc, quod ſperatum eſt, ad effectum non pervenerit, nihil anterioribus liberis fortuitus [17] caſus derogare concedatur: & multo magis ſi quis mulierem, quam in contubernio ſuo habuerat, prægnantem [18] fecerit, poſtea autem adhuc gravida muliere conſtituta, dotalia fecerit inſtrumenta, & puer vel puella editus vel edita ſit, juſta patri ſoboles naſcatur, & in poteſtate efficiatur, & heres exiſtat morienti ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento. Satis enim abſurdum eſt, ſi filii poſt dotem progeniti anterioribus liberis adjutorium adferant, & ipſum puerum, vel puellam ſibi opitulari non poſſe. Et generaliter definimus, & quod ſuper hujusmodi caſibus variabatur, definitione certa concludimus: ut ſemper in hujusmodi quæſtionibus, in quibus de ſtatu liberorum eſt dubitatio, non [19] conceptionis, ſed partus tempus inſpiciatur: & hoc favore facimus liberorum, ut editionis tempus ſtatuamus eſſe inſpectandum: exceptis his tantummodo caſibus, in quibus conceptionem [20] magis approbari, infantium conditionis utilitas expoſtulat. Dat. 15. Kal. April. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

In AUTHENT. de inceſt. nupt. §. Dubitatum. col. 2. tit. 7. al. Novell. 12. cap. 4.

QUod jus locum habet, & ſi ante hoc conſortium, legitimorum pater ſit ex alia conjuge, a qua ſeparatus ſit legitime, vel ea mortua.

In AUTHENT. de trient. & ſemiſſ. §. penult. col. 3. tit. 5. Novell. 18. cap. ult.

SEd nova conſtitutio non permittit hoc in ancilla, niſi ei, qui ſine legitimis aliis reperitur.

In AUTHENT. ut lib. dec. §. ſi quis autem. col. 6. tit. 7. al. 6. Novell. 78. cap. 3.

NOva alia conſtitutio hoc generaliter inducere videtur & in his, qui ex ancilla ſunt, ut ex ipſa dotis inſcriptione ſimul, & libertas tribuatur, & jus ſuorum.

De legitimatione per Principem.

In AUTHENT. quib. mod. nat. effic. legit. §. 1. vers. Si vero ſolummodo & §. ſed & aliud. col. 6. tit. 3. al. 1. Novell. 74.

PRæterea qui legitimam non habet prolem, ſed ex hujusmodi conſuetudine duntaxat naturalem: poteſt ab eo precibus [21] Principi datis, legitimos ſibi conſtituere, & ſine [22] matrimonio, ſi mulier jam defuncta ſit, vel deliquerit, vel occultetur, vel alias venire prohibeatur, vel quoquo modo matrimonium impediatur, ut ſacerdotio.

De legitimatione ex teſtamento.

In AUTHENT. quib. mod. nat. effic. legit. §. illud autem. col. 6. tit. 3. al. 1. Novell. 74. cap. 2.

ITem ſine legitimis decedens, in teſtamento [23] ſcribens velle ſe naturales filios fore legitimos ſucceſſores, *licentiam habeat, ut poſt mortem ejus filii Principi ſupplicent, teſtamentum oſtendentes, & Principis, & legis dono fiant heredes: ſi tamen filii voluntatem patris amplectantur. Quod generaliter obſervatur: Sed ſi alii quidem volunt legitimi fieri, alii non: volentes fiant, cæteri in jure naturali remaneant.*

De eo, qui in aliquo inſtrumento nominatus eſt filius.

In AUTHENT. ut liceat matri & aviæ. §. Ad hoc autem. col. 8. tit. 18. al. 13. Novell. 117. cap. 2.

SI quis liberos habens naturales ex muliere libera, quæ uxor ei poterat [24] eſſe, dicat [25] in inſtrumento ſive publice, ſive propria manu conſcripto habente ſubſcriptionem trium teſtium fide dignorum, ſive in teſtamento, ſive in geſtis monumentorum, hos ſuos eſſe, *nec adjecerit* naturales, *hujusmodi filii ei legitimi ſucceſſores erunt. † Et ſi uni ex multis filiis teſtimonium quodlibet ex prædictis modis præbuerit, cæteris ex eadem muliere natis ad legitima jura ſufficiet.*

De nepote naturali.

12. Idem A. Joanni P. P.

CUidam, qui juſtum filium habebat [26], nepos acceſſit naturalis. Si nepotis [27] nomen hujusmodi ſoboli legibus accommodandum eſſet, quærebatur. Volebat enim tali [28] naturali nepoti ex ſuo legitimo filio jam defuncto progenito totam [ſuam] ſubſtantiam relinquere, quaſi ſacris conſtitutionibus tantummodo in filiis naturalibus prohibentibus totum patrimonium, ſive quantam partem voluerit, eis relinquere, & certo fine partes eorum concludentibus? Hujusmodi autem dubitatio, & in alia [dubitationis] ſpecie ventilata eſt. Quid enim, ſi ex naturali filio nepotem habeat avus legitimum patri ſuo, vel naturalem? In omnibus itaque talibus dubitationibus, cum nulla legitima conſequentia in hujusmodi perſonis cuſtoditur, ſed interventu ſobolis naturalis nullum [29] jus legitimum ſubeſſe poteſt, ut neceſſitas relinquendi aliquid eis ex legibus immineat: liceat eis, quantum voluerint ſuæ ſubſtantiæ in eos conferre; ſcilicet nulla legitima ſobole ſubſiſtente. Filiis enim naturalibus relinqui conſtitutiones, quantum voluerint, ideo prohibuerunt, quia [30] vitium paternum refrenandum eſſe exiſtimaverunt. In nepotibus autem non eadem obſervatio in præfatis ſpeciebus cuſtodienda eſt, ubi legitima ſoboles minime facit impedimentum. Ea enim ſubſiſtente: veterum conſtitutionum tenorem in naturalibus filiis ſtatutum, & in nepotes extendimus. Sed hoc in his tantummodo ſancimus, in quibus voluntate aliquid conſecuti ſunt. Jura etenim ab inteſtato [31] in avi ſucceſſionem nemini eorum penitus aperimus. Et hæc non ſolum eis accedere cen-

1 Hæc conſtitutio locum non habet in jam mortuis, ſed morituris. 2 *l.* 3. J. *h. t.* 3 Legitimos habens liberos poteſt filios ſuos naturales, ſi quos habet, curiæ offerre: ſed & eis relinquere & donare, non plus tamen quam uni liberorum cui minus dederit. 4 Legitimare per oblationem curiæ filios naturales pater poteſt, licet alios legitimos jam habeat. 5 *Nov.* 89. *c.* 2. §. 1. 6 Legitimato filio pater plus relinquere non poteſt, quam legitimis & legitime natis. 7 *Nov.* 74. & ita derogatur *Novell. Th. de bon. decur.* 8 *l.* 11. J. *h. t. l.* 20. *verſ. ſancimus. ſupr. de don. ante nupt. Inſt. de nuptiis. in fin. Novell.* 89. *c.* 8. J. Legitimatio per matrimonium, tabulas & ſcripturam requirit jure civili, *ut hic: & Inſtit. de nupt. in fin.* non tamen jure Canonico. *c. tanta.* 6. *extr. qui filii ſint legitimi.* 9 Autor beneficii alteri conferendi ipſo beneficio non eſt arcendus, ſed adjuvandus potius; adde *l. amiciſſimos.* 36. §. *Lucius.* 1. *ff. de excuſ. tut.* 10 Hinc videtur defendi poſſe communis illa opinio, Legitimatum per nuptias non tantum legitimum fieri, ſed jus primogenituræ etiam conſequi adverſus fratres juſtis poſtea nuptiis ſuſceptos. dixi ad *Novell.* 89. *c. ult.* 11 *d.* §. *ult. Inſt. de nupt. in fin. Novell.* 19. 12 Legitimati per matrimonium æquali jure cenſentur, & ſuccedunt patri una cum aliis ante & poſt matrimonium legitime ſuſceptis. 13 Legitimatur filius naturalis per ſubſequens matrimonium, *ut hic.* Cujus regulæ extenſiones viginti, exceptiones quatuordecim, vide apud Duenazium *reg.* 350. 14 Affectio maritalis nuptias facit, *ut hic. l.* 10. J. *h. t.* 15 Dixi ad *Novell.* 74. *in pr. & Novell.* 89. *c.* 8. 16 Si ita eſt, qui mortis periculo inſtante, concubinam *uxorem* vocat, liberos ex ea ſuſceptos non legitimabit: ut velle videtur Baldus *in hac lege.* 17 Anterioribus liberis fortuitus poſteriorum caſus nihil derogat: & ita per matrimonium legitimantur liberi, etiamſi poſt alii non naſcantur, vel naſcantur, & moriantur. 18 Ut ſciri poſſit quis legitime natus ſit, non inſpicitur tempus conceptionis, ſed partus. 19 Verbum *procreati* non modo locum habet in natis, ſed etiam in conceptis, & adhuc in utero exiſtentibus, ut concepti & nondum nati poſſint per reſcriptum legitimari, vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 51. *num.* 37. 20 Adde *l.* 7. *l.* 26. *ff. de ſtat. homin.* 21 De legitimatis per reſcriptum. 22 Legitimati ſtatuto, vel a Comite (quem Palatinum Comitem interpretes noſtri appellant) liberi naturales ſuccedere parentibus ſuis non poſſunt, exiſtentibus legitimis, *ut hic:* niſi forte ipſi legitimi conſentiant legitimationi, ne alioquin ipſis legitimis in jure ſucceſſionis fiat præjudicium. 23 De legitimatis per teſtamentum. 24 Verbum *poterat* habet quatuor ſignificationes. vid. Roder. Suarez. *de matrim. n.* 33. Anſ. 25 Legitimari a patre videtur filius naturalis, ſi inſtrumento publico, vel ſcriptura manu propria perſcripta & ſubſcriptionem trium teſtium fide dignorum habente *filius* nominatur ſeu appellatur, *ut hic.* quam ſententiam quatuor exceptionibus propoſitis coërcet & reſtringit Duenazius *reg.* 348. de trium teſtium ſubſcriptione, ejusque vi & effectu, vide *l. ſcripturas.* 11. J. *qui potiores.* 26 Utrum nepos naturalis avo ſuccedat. 27 Filii appellatione in odioſis nepos non continetur: ſi ratio odii quæ erat in filio, ceſſat in nepote: ut filii certæ qualitatis mentione facta nepos alterius qualitatis non contineatur. 28 Legitimo nepoti ex filio naturali: vel naturali ex legitimo: vel, naturali ex naturali, legitimis non exiſtentibus, poteſt avus univerſa bona relinquere, licet eorum parenti non poſſet niſi ſemiſſem relinquere. *l. humanitatis.* 8. *ſupr. h. t.* forte quod nepos cenſetur jure extranei, vel pro extraneo habeatur: ut quod extraneo, & eidem teſtator poſſit relinquere. 29 Legitima nulla debetur liberis naturalibus: Naturales tantum liberi non agunt de inofficioſo. adde *l.* 1. §. 1. *ff. de bon. poſſeſſ. contra tabul.* 30 *Sub.* incontinentiæ, 31 Nepos cæterique liberi naturales avo vel proavo nullo modo ſuccedunt.

ſemus a ſubſtantia avi paterni naturalis, ſed etiam proavi, vel ejus cognationis: ſi quis ſaltem hujusmodi vocabulum in tam degeneres [1] homines extendere maluerit. Dat. Kal. Novembr. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

TIT. XXVIII.
DE TESTAMENTARIA [2] TUTELA.

De teſtamento patronæ.

1. Impp. SEVER. & ANTON. A. Speratæ.

QUem dicis tibi tutorem in teſtamento patronæ [3] datum, ſi adminiſtrationi ſe non [4] immiſcuit, nulla actione tibi tenetur: neque enim jure [5] datus tutor fuit. Quod ſi adminiſtraverit [6] ſponte res tuas, experiri adverſus eum actione negotiorum geſtorum potes. PP. Kal. Auguſt. APRO & MAXIMO CONSS. 208.

De teſtamento & codicillis.

2. Imp. ANTON. A. Sabiniano.

ETſi a patre tuo teſtamento jure tibi tutor datus, eo [7] tempore, quo heres extitiſti, in rebus humanis fuit: tamen codicillis alius tutor recte datus eſt, & uterque [8] propter voluntatem teſtatoris tutor erit: niſi teſtamento datum pater alium codicillis dando reprobaverit, tunc enim poſterior ſolus tutor erit. Dat. Id. April. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

Si ex pupillis unus in ſuam tutelam venerit.

3. Imp. ALEXANDER A. Gordio & aliis.

SI tutores teſtamento [9] vobis dati ſunt, quanquam unus veſtrum ſuæ [10] ætatis factus ſit, id eſt pupillarem ætatem exceſſerit, tutela tamen veſtra ad eum non pertinet. Dat. 5. Kal. Jan. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De teſtamento matris.

4. Idem A. Felicianæ.

MAter [11] teſtamento filiis tutores dare non poteſt, niſi eos heredes inſtituerit. † Quando autem eos heredes [non [12]] inſtituerit, ſolet ex voluntate defunctæ datus tutor a Præſidibus confirmari.

† Nullo vero ex his interveniente, ſi res pupillares, qui dati ſunt, adminiſtraverint [13]: pro tutelæ actione tenentur. PP. 7. Kal. Jun. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

De ſervo alieno.

5. Impp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Daphnæ.

SI pupillorum pater alienum [14] ſervum de quo poſtulas, & tutorem eſſe voluerit, & liberum, manente tamen alio tutore pupillis [ante] dato: & redimi, & manumitti hunc apud præſidem provinciæ, & curatorem adjungi oportet. PP. 3. Kal. Mart. SECULARI & DONATO CONSS. 261.

De adminiſtratis & neglectis.

6. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Donnæ.

SI tibi pater avunculum teſtamento recte tutorem dedit, nec is excuſatus eſt: eum tutelæ judicio, tam de adminiſtratis, quam de neglectis [15] (cum adminiſtrari deberent) apud competentem judicem conveni, ſecundum bonam fidem tibi ſatisfacere juſſurum. Subſcripta Non. April. *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

De differentia tutoris & curatoris.

7. Iidem AA. & CC. Triphenæ.

TUtelæ [actione] contra tutorem mota, quem [in] teſtamento patris, in cujus fuiſti poteſtate, datum proponis: reddi tibi, ſi quid debetur, competens Judex aditus jubebit. Curatorem [16] enim inutiliter [in] teſtamento dari non ambigitur. Dat. 17. Kal. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

De verbis Græcis.

8. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Florentio P. P.

TUtores [17] etiam Græcis [18] verbis licet in teſtamentis relinquere: ut ita tutores dati videantur, ac ſi legitimis verbis eos teſtator dediſſet. Dat. Prid. Id. Sept. THEODOSIO A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

TIT. XXIX.
DE CONFIRMANDO [19] TUTORE.

De teſtamento matris.

1. Imp. ALEXANDER A Priſco.

T*Eſtamento* matris [20] tutores dati, excuſare [ſe] neceſſe [21] non habent, niſi decreto ſecundum voluntatem defunctæ, & quidem inquiſitione [22] habita dati fuerint. PP. 3. Non. Mart. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

De epiſtola & imperfecto teſtamento.

2. Idem A. Valerio.

NEque per epiſtolam [23], neque ex imperfecto [24] teſtamento tutorem recte dari indubitati juris eſt. Sed voluntas patris in conſtituendis tutoribus, vel curatoribus in hujusmodi caſibus a Judice, ad cujus officium hæc res pertinet, ſervari ſolet. Secundum quæ vereri non debes, ne tempus antequam [25] confirmareris, tibi ceſſerit. PP. 7. Id. Auguſt. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO CONSS. 227.

Si ante confirmationem alius tutor datus fuerit.

3. Idem A. Soſſiano P. P.

SI (ut proponis) pupillo cujus meminiſti, pater inutiliter teſtamento tutores dedit; & priusquam [26] hi confirmarentur, alii ab eo cujus intereſt, dati [27] ſunt, id quidem quod [28] jure geſtum eſt [29], revocari non poteſt. † An autem qui judicium patris habent, curatores eidem pupillo conſtitui [30] debeant, aditus competens Judex perſpectis [31] utilitatibus ejus æſtimabit. PP. 3. Idib. April. MODESTO & PROBO CONSS. 229.

De parentibus naturalibus.

4. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

NAturalibus [32] liberis providentes, damus licentiam patribus eorum in his rebus quas quocunque modo eis dederint, vel reliquerint, ([ſcilicet] intra præfinitum noſtris legibus modum) & tutorem eis relinquere: qui debet apud competentem Judicem confirmari, & ita res gerere pupillares. Dat. 15. Kal. April. *Conſtantinop.* LAMPADIO & ORESTE CONSS. 530.

TIT. XXX.
DE LEGITIMA [33] TUTELA.

De avunculis & patruis.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Firminæ.

AD avunculos [34] nec maſculorum tutelæ ex lege duodecim taburum deferuntur: cum ſolummodo patruis ſi non ſe excuſaverint, id jus tributum ſit. PP. 8. Kal. Jun. ipſis AA. IV. & III. CONSS. 290.

De agnatorum & cognatorum differentia ſublata, de ſexu, ætate & gradu.

In AUTHENT. de hered. ab inteſt. §. ex his. col. 9. tit. 1. Novell. 118. cap. 5.

SIcut hereditas agnatione non inſpecta proximis defertur: ſic & tutelæ onus comitatur emolumentum, ſi maſculi & perfectæ ſint ætatis, & nulla lege probibeantur ſuſcipere. Quod ſi plures ſint ejusdem gradus, & ad tutelam vocantur: jubemus communiter apud judicem convenientibus unum, vel plures eligi, & eum vel eos adminiſtrare: ut magis idoneo, vel idoneis committatur tutela, periculo tutelæ omnibus imminente, qui ad tutelam vocantur: & ſubſtantiis eorum minoribus tacite ſubjacentibus pro hujusmodi gubernatione.

De capitis deminutione.

2. Iidem AA. & CC. Aſclepiodoto.

AD agnatos pupilli jure [35] legitimo ſollicitudinem tutelæ pertinere, niſi capitis [36] deminutionem ſuſtinuerint, manifeſtiſſimum eſt. S. 3. Non. April. AA. CONSS. 290.

De fœminis impuberibus.

3. Imp. LEO A. Erythrio P. P.

COnſtitutione divæ memoriæ Conſtantini, [37] lege Claudia [38] ſublata, pro antiqui [39] juris auctoritate, ſalvo [40] manente agnationis

1 Eſt hoc natis ex concubinatu vitium, ut degeneres ſint, nothi & obliqui. Lucanus, Obliquo maculat qui ſanguine regnum. & Baſtardi vulgo a Germanico *Bös art*, id eſt, degeneris ingenii. vide Cujac. ad *Novell.* 118.
2 Dixi ad *L.* 26. *D.* 2. Tutela alia legitima, alia dativa, alia teſtamentaria, *ut hic:* alia Atiliana, utut ſit, tutor dari teſtamento poteſt. An & curator? non datur. *l.* 7. J. *h. t. l.* 1. *in fin. ff. de confirmando tutor.* quia lex 12. tabularum de tutela loquitur, non de curatore, datus tamen confirmatur a prætore. *d. l.* 1. adde Cujac. 7. *obſerv.* 6. An & adoptio? ſic videtur. Velleius Paterculus 2. Eutrop. 7. Sueton. *in Tiber.* Cic. *in Bruto,* Nepos *in Attico.* Imo non recte, propter ſuperioris legis 12. tab. rationem: ſed tamen confirmatur. dixi ad *l.* 63. §. 10. *ff. ad SC. Treb.* An & contractus, dixi ad *l.* 21. *ff. qui teſt.* Hoc interim notandum eſt, in Gallia neque lege, neque teſtamento tutores, ſed tantum ex inquiſitione dari. vide Lucium 8. *Placit.* 3. *num.* 1. 3 Idem in patrono. *l.* 28. *in fin. ff. h. t.* 4 *l.* 1. *in fin. ff. de eo qui pro tutor.* 5 Ceſſatio injuncti perperam officii neminem obligat. *l.* 5. J. *qui dare tut.* 6 Tutor jure non datus ſi ſe tutelæ miſcuerit, actione geſtorum negotiorum tenetur. 7 Eodem tempore, quo confirmantur, ſimul fieri videntur. *Bald.* nihil prius aut poſterius æſtimatur in his, quæ fiunt eodem tempore. 8 Et ita pater dando poſteriorem tutorem non intelligitur priorem removiſſe. *Bald.* vel ſic, tutor teſtamentarius non excluditur per codicillarem, ſed ambo ſimul tutores ſunt. *Salic.* adde *l. ultim. in fin. ff. h. t.*
9 *Tutor* teſtamento datus legitimum excludit. legitima tutela teſtamentariæ cedit. *l.* 9. §. 1. *in fin. ff. de tut. & rationib.* 10 Suæ ætatis fieri, eſt puberem fieri. Dion. 53. τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ. Puberes vocantur, qui nondum pervenerunt ad annum vigeſimumquintum ætatis. vide Cujac. 6. *obſ.* 3. ubi varias ætatis ſignificationes explicat. 11 Mater non dat tutorem filio, niſi eum heredem inſtituat: datum tamen judex cum inquiſitione confirmat. Non confirmatus tenetur pro tutelæ, ſi geſſerit. *l.* 4. *ff. h. t.* 12 Cujacius ad *tit. Inſtit. de tutelis.* hanc negationem expungendam monet: Nunquam enim tutor datus a matre, niſi inſtituto. *d. l.* 4. *l.* 69. §. 2. *ff. de leg.* 2. Goth. Male: vide Gloſſam & *l.* 28. §. 2. *ff. h. t.* &c. *l.* 4. *ff. de confirm. tutor.* J. G. 13 *l.* 39. §. 9. *ff. de adminiſt. & peric. tutor.* 14 Si ſervus alienus cum libertate tutor datur, ſervus redimendus eſt, & ut curator vel tutor alteri adjungitur. *Salic.* 15 Tutor negligentiam præſtat, & de negligentia tenetur. *l.* 2. J. *ſi tutor non geſſer. l.* 60. §. 3. *ff. de ritu nupt. l.* 1. §. 1. *ff. de admin. & peric.* 16 Curator teſtamento inutiliter datur, licet confirmetur. *l.* 1. *in fin. ff. de confirmando tutor. l.* 5. *ſupr. de negot. geſt.* vid. Cujac. 7. *obſerv.* 6. 17 Novella Theodoſii de teſtamentis.
18 Tutor Græcis verbis dari poteſt, *ut hic.* Quinam actus Græcis verbis fieri poſſint, dixi ad *l.* 11. *ff. de leg.* 3.
19 *L.* 26. *D.* 3. 20 Et ita inutiliter. *l.* 2. *ff. h. t.* 21 Tutor inutiliter datus, niſi a die confirmationis ſuæ excuſatione non indiget. 22 Cur magis inquiritur tutor a matre datus, quam a patre? matris, ut & omnium mulierum conſilium fragile eſt. *l.* 4. *ff. de teſtam. tut.* 23 Per epiſtolam dari tutor non poteſt, *ut hic,* ut nec hereditas (nam epiſtola ne vim quidem codicillorum habet. *l.* 17. *ff. de jur. codicill.*) ſic epiſtola qua quis ſibi coheredem cavit, petitionem non habet. *l.* 52. *ff. de pact.* fidejuſſor tamen epiſtola dari poteſt. *l.* 22. J. *de fidejuſſ.* Quin epiſtolæ nonnunquam vicem inſtrumenti obtinent. *l.* 29. *ff. de probat.* 24 Ratio dubitandi hæc eſſe potuit, quod imperfectum patris teſtamentum inter liberos valeat. *l.* 21. §. 1. J. *de teſtam.* Goth. Vid. *l.* 3. *ff. h. t.* Sichard. ad *l. hac conſultiſſima.* §. *ex imperfecto. Cod. de Teſtam. num.* 5. 6. 7. Anſ. 25 Excuſationis tempus non cedit tutori inutiliter dato, antequam confirmetur. *l.* 1. *l.* 3. *ff. h. t. l.* 58. §. 2. *ff. de admin. & peric. tut.* 26 Antequam tutor inutiliter a patre datus confirmetur, poteſt per judicem alius dari: interim dum tutor confirmetur, poteſt per judicem alius dari, tutor confirmandus non impedit quia alius poſſit dari. 27 A judice. 28 Legitime facta non revocantur. adde *c.* 73. *de reg. in* 6. *l.* 85. §. 1. *ff. de reg. jur.* 29 A judice. 30 Tutor confirmandus dato a judicibus tutori, ut curator adjungi poteſt. 31 Confirmatio tutoris in judicis deliberatione conſiſtit. 32 Pater naturalibus liberis tutorem dare poteſt, confirmandum tamen a judice. *l.* 3. J. *quando mul. tut. Nov.* 89. *c.* 14.
33 Dixi ad *L.* 26. *D.* 4. & 1. *Inſt.* 15. & 11. Ulp. 2. 3. *& ſeq.* 34 Legitimæ tutelæ deferuntur ad agnatos, & ita ad patruos, non ad avunculos. §. 1. *Inſt. h. t. l.* 1. *l.* 6. *ff. h. t.* Hodie cognati, ſi modo proximiores ſint, tutelam obtinent. *Auth. prox.* J. *Novell.* 118. *c.* 5. 35 i. e. Lege 12. tab. Nam hic quibus teſtamento tutor datus non extat ex lege 12. tab. agnati erant tutores: eaque tutela ideo legitima dicebatur. *Inſtit. h. t. l.* 1. *l.* 5. *ff. de legitim. tut.* Ulp. 11. §. 3. 36 Minima capitis deminutio agnatum excludit a tutela. *l.* 5. *in fin. ff. eod.* §. *ult. Inſtit. h. t.* 37 *l.* 2. *C. Theod. de tutor. & curator. creand.* 38 De qua vide Ulp. 11. §. 8. *in fin.* 39 Vid. Ulp. *d. loco.* 40 Id eſt, tantiſper dum manet jus cognationis. *l.* 2. *ſupr. h. t.*